



**Hermann Hamelmanni, S. S. Theol. Licent. & dum viveret  
Superint. Oldenburgici, Opera Genealogico-Historica, De  
Westphalia & Saxonia Inferiori**

**Hamelmann, Hermann**

**Lemgoviae, 1711**

**VD18 11397225**

Lib. III. 1. Brunckhorst/ 2. Broick/ 3. Esens/ 4. Geldern/ 5. Jülig/ 6. Jhever/ 7.  
Mörse/ 8. Pymont/ 9. Rhede/ 10. Rittberg/ 11. Ravensborg/ 12.  
Spiegelberg/ 13. Tecklenborg/ 14. Wittmunde/ 15. ...

---

---


**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56092](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56092)

*LIBER TERTIUS,*  
DE EMORTUIS  
ILLUSTRIUM  
HEROUM FAMILIIS,

Bbb bb

In



In TRACTATUM vel LIBRUM TERTIUM  
DE

PRINCIPATIBUS, COMITA-  
TIBUS & DOMINIIS

INFERIORIS SAXONIÆ, ANGRIVARIÆ & WESTPHALIÆ,  
In quibus est aliqua mutatio facta.

PRÆFATIO

*Ad Amplissimum, Illustri Genere, Doctrina Eximia, Virtute  
precipua, consiliis & usu rerum præcellentem Nobilem,*

Dominum HENRICUM RANZOVIUM,  
Regium Vicarium & Consiliarium, Satrapam Segebergensem,  
multorum Dominiorum hæredem & possessorem, &c.  
directa ab

HERMANNO HAMELMANNO.

**G**raviter, amplissime Heros, nobilium decus, Domine Henricus Ranzovi, qui regium Vicarium agis, magnasque dignitates coram hoc seculo obtines, multaque Dominia atque magna mundi bona possides, &c. dixit Parisiensis Cancellarius Joannes Gerlon in quadam Epistola: Ecce tempus breve est, mors incerta, omnia caduca in mundo, nihil jam in sepulchris fœtent, qui se diu vivere estimabant. Recesserunt a memoria hominum, qui in ore versabantur omnium. Colit mundus præsentem absentes nescit, deserit morientes. Huc alludunt plurima alia Sanctorum Patrum Testimonia. Basilii dictum hoc est: Semper ante oculos tuos spectetur ultimus dies, cum diluculo surrexeris, ad vesperam ne confidas te pervenire: Et cum quiescens in lectulo membra posueris, de lucis ne confidas adventu. Ambrosii sententia talis est: Vita humana, quam vivimus, tamen vita est dicenda, tam brevis est, tam caduca & umbratica, ut præteritis eam antè desinat, quàm veniat, antè desinat quàm cognoscatur. Hieronymus graviter dicit: Facile contemnit omnia, qui se moriturum semper esse cogitat. Augustini verba sunt: Assidua mortis meditatio, est optimus generis

genus Philosophia. Gregorius inquit: *Tota vita sapientis debet esse meditatio mortis. Huc alludit Bernhardus ajens: Certum est, quod morieris, incertum est ubi, quomodo, quando, &c. Hec sunt nobis cogitanda, ruminanda & expendenda.*

Ad te, generose Domine, patrone literarum literarumque clarissime, Domine Henrice Ranzovi, jam quarto redeo, adferens librum historicum, de variis mutationibus, qua visa sunt in quibusdam inclytis Principum, Comitum & Dominorum familiis sub annis centum, & à nobis observatis, quomodo saepe mascula propago vel linea in talibus illustribus genealogiis defecerit, qua alioqui Vest. Ampliff. Excell. magis nota sunt, quam mihi, ut ex hoc admoneamur nos senes & cani (qui jam annum 64. aetatis nostra excessimus, ego ut cliens, tu ut Dominus) imminenti mortis: Cito enim nobis moriendum erit. Etsi juvenes aetate mori possint & saepe moriantur in medio flore & cursu vita sua, tamen senibus ex necessitate moriendum est.

Accipe ergo, illustris Domine Produx, hunc quoque parvum libellum cum prioribus libris, sincero vultu pro tua solita pietate & singulari erga studiosos clementia, & tibi seni glorioso humilem senem HAMELMANNUM singulariter commendatum habe.

CHRISTUS JESUS, filius DEI & noster Emanuel, non projiciat nos in tempore senectutis nostra, eum jam incipiat deficere virtus nostra (videlicet in corpore ruinoso & rugoso) nec derelinquat nos, nec in hac nostra senecta & canitie unquam nos deserat juxta Psal. 71. sed faciat potius juxta Psalmum 92. ut in canitie nostra germinemus, & in senecta hac nostra adhuc pingues & virides simus: Eidem CHRISTO vos & vestros commendo meis precibus.



Hoc est,

## TRACTATUS DE PRINCIPATIBUS, COMITATIBUS, DOMINIISQUE

*Inferioris Saxoniae Angrivariae & Westphaliae,*In quibus sub *annis centum* aliqua mutatio est facta, licet adhuc maneant tituli.

Unde observatur, quam sit breve &amp; miserum humanae vitae curriculum: quantaque sit in hominum statu varietas.

In litera A. nihil reperio.

B.

**B**RUNCKHORST Comitatus, cujus ultimus masculus haeres & Comes *Fodocus* absque haeredibus, quos nullos ex *Maria Comitiſſa Hoyensi* habuit, moritur, tunc pervenit ad eum Comitatum *Hermannus Georgius in Limpurg, Dominus in Stirn & Wiſſch* interim ab ejus possessione sunt hujus haeres depulsi.

DUCATUS BERGENSIS nostro seculo *ſenſi mutationem*, nam mortuo masculino haerede ultimo *Wilhelmo tertio Duce* circa annum Domini 1511. *transiit per pacta dotalia ille Ducatus ad Clivenses Duces*, quando *Foannes tertius Dux Cliviae & Comes de Marcka* unicam filiam *Wilhelmi* filiam *Mariam* duxisset sibi conjugem, ex quo natus est *Wilhelmus quartus, Dux Bergensis*, qui hoc anno Domini 1590. in magno superest senio. hinc supprimendum non est, quid acciderit *Adolpho Comiti Bergensi* in praelio capit anno Domini 1280. *Sifridum, Archiepiscopum Coloniensem* & per septennium detinet, donec se magna vi pecuniae liberaret: Interim Episcopus ille jam liber factus contra fidem datam per insidias capit eundem Comitem *Adolphum*, & hinc ab Episcopo per aetatem ferrea melle illita, ut ab insectis miserè vexaretur, *cavea nudus* ita inclusus circum ducitur, tetroque in carcere usque ad finem vitae detinetur: ita miserè perit. Sic etiam miseriae & calamitatibus magni Domini *facta* jecti sunt: Et haec sunt egregia Episcopi facta.

BROCK

BROICK (quod est situm inter urbes ASSINDIAM & *Duisbergam*)  
 Dominium obtinuit hactenus *Wiricus de Thun / Comes in Falckenstein &*  
*Oberstein / Dominus in Falckenborg & Broich /* sed jam Dominium hoc  
 est vastatum.

In C & D litera nihil reperio.

E.

ESENS, In *Dominio Esensi* facta est talis permutatio: Cum *ultimus*  
*masculus heres* hujus Domini *nobilis Dominus Balthasar Dn. in Esens &*  
*Wittmunde /* anno Domini 1540. moreretur, accedit illud Dominium  
*Othoni, Comiti de Kerberge /* qui hujus *Balthasaris* sororem *Annam* habuit  
 sibi *Conthoralem*: Hujus Comitis *Othonis* filius *Joannes* genuit ex  
*Agnea Benthemense* duas filias *Dominam Armegardam* elocatam *Dn.*  
*Erico Comiti Hoheni* & postea *D. Simoni Comiti Lippicensi*, (quæ absque li-  
 beris discessit) alteram *Wolpurgim* elocatam *D. Ennoni Comiti & Dn.*  
*orientalis Phrysiæ*, ex quo dum peperisset duas generosas puellas, ani-  
 mam agit quoque.

In litera F nihil reperio.

G.

GELDRIA, Magnam sensit mutationem & variam nostro tem-  
 pore: *Mortuo Carolo Geldria Duce* magnanimo & audaci Anno *Dn. 1538.*  
 ultimo *masculo hærede* (qui ex *Elisabetha Lunaburgica* nullam prolem  
 genuit) ex *communi procerum suffragio* eligitur *Princeps Wilhelmus, Dux*  
*Juliacensis*, & per aliquot annos hunc Ducatum obtinuit is, donec ex  
*Africa* rediret *Carolus V. Casar*, & *civitatem Ducatus Juliacensis vi & ar-*  
*mata manu* obtineret *Duram*, & *Ruremundam* *deditione* caperet, aliaque  
 istius Ducatus oppida sibi subjiceret *Carolus V. Casar*, magnumque ti-  
 morem Principi juveni magna exercitus sui copia incuteret, quia ma-  
 gna cleeritate illas urbes satis munitas invasit: Ideo ipso *Principe Guil-*  
*helmo resonante* hunc Ducatum, & facto *Cæsari supplice*, *accessit hic Du-*  
*catu Carolo Casari* & ejus filio *Philippo Hispaniarum Regi*, verum sub  
 annis viginti quanta fuerit ibi mutatio hinc inde ex historiis notum est.  
 Nunc gubernatores *Belgiarum* provinciarum nomine *Regis Hispania-*  
*rum Ducatum* aut partem ejus obtinuerunt, nunc status *Belgicarum*  
 factionum obtinuerunt & obtinent, sicut hodie eventus docet, aliquam  
 partem.

JULIACENSIS Ducatus, in quo multi Comitatus & Domina subsum, ut in *Nawenar / Wicfradt / Himsborg / Disth & Nissan* mortuo anno Domini 1511. ultimo masculino hærede *Wilhelmo Gerhardi filio, Wilhelmi nepote, Duce Juliacensi & Bergensi, Comite in Ravensburg* absque masculino hærede. Et is tantum haberet unicam filiam ex *Sybilla Brandenburgica Mariam*, eam *Joanni Duci III. Clivia Comiti de Marca* elocaret, eodem anno videlicet 1511. utrumque Ducatum regendum suscepit, cui anno Dni 1539. mortuo *Wilhelmus, Dux Clivia & Juliacensis* filius unicus succedit, & hic *Wilhelmus* (qui aliquando in *Duce Geldria* creatus est) anno Domini 1539. & inde anno Domini 1543. cedere coactus est, adhuc unicus restat filius *Joannes Wilhelmus*, qui ex *Badensi conjugem* iam adhuc procreavit prolem, ut timendum sit novam aliquando in Ducatu futuram mutationem.

JHEVER, Dicitur regebatur ab anno Domini 1490. usque ad annum 1510. per *Edonem Winmecken* (eius nominis secundum qui habuit conjugem *Helwigam Gerhardi Comitis Alenburgici filiam, Comitis Joannis sororem*, ex qua genuit *Christophorum, Annam, Mariam & Dorotheam*, mox moritur unicus masculus hæres Dominus *Christophorus* circa annum 1518. mortuo illo ejiciuntur sorores tres filia *Edonis Winmeckenii II. & sorores Dni. Christophori per Ennonem II. Comitem orientalis Phrysiæ* ex patria sede: Is tandem in arce *Jheverana* sorores quali capivas tenuit, regente arcem & ditionem, in qua comprehenduntur *Wagru Ostringii & Rustringii Phrysiæ, Boingo Capitaneo ac Domino in Duce* & *Gudesen* nomine *Comitis Ennonis*, sed irritatus *Boingus à Comite*, delectus ab eo, & totam ditionem legitimæ hæredi *Maria Domini Edonis filia* quæ ex tribus filiabus Dni. Edonis & tribus sororibus jam tum anno Dni 1528. sola supererat, restituit: Illa se imperio *Caroli V. Cesaris* subiecit & suam ditionem tanquam feudum Burgundicæ aulæ & domui subditæ sic liberatur ab *Ennonis Comitis potentia*, & ab eo tempore adhuc per annos 40. *Domina Maria virgo suam ditionem prudenter, jussu & tranquillè gubernavit*, & tandem avunculi sui *Joannis Comitis Alenburgici nepotem ex filio Dni. Anthonio Comite, Dni. Joannem Comitem*, avo cognominem suarum ditionem verum & indubitatum hæredem designavit & in realem possessionem sui domini immisit, & anno Domini 1573. mortuo. Et cum hoc nomine in *aula Bruxellensi* litem Dno *Joanni, Comiti Alenburgico & Delmenhorstano*, moveret *Ezardus, Comes orientalis Phrysiæ* & ab anno 1575. per aliquot annos controversia penderet & sub judice

ventilaretur tandem anno Domini 1588. sententia pro Comite Alden-  
burgico prolata fertur, sed revisionem petit Comes Exardus.

In litera K & L nihil reperio.

### M.

MORSE, Comitatus etfi ultra Rhenum versus Ducatum Clivie  
sit, tamen habet ab hac parte Rheni in Westphalia aliquot bona  
circa Düsbergam urbem das Kreflerfeld: *Joannes masculus istius Comi-  
tatus heres ultimus, cujus filius Bernhardus ante patrem moritur, reli-  
quit filiam N. quam elocavit Wilhelmo, Comiti de Weida/ pii & constan-  
tis confessoris Hermannii Electoris & Archiepiscopi Coloniensis fratri, qui  
etiam, mutato titulo, scribit se Comitem in Morse/ & ex hoc nascitur unica  
filia Anna, quæ prudentissimo Comiti Domino Wilhelmo, Comiti in Nes-  
wenar/ & Domino in Bethbar elocatur à patre (qui ita Morsensem Co-  
mitatum consequitur in dotem) qui fuit Cæsaris Caroli V. consiliarius,  
cujus frater fuit doctissimus historicus præpositus Metropolitanus Colonicen-  
sis, Hermannus, Comes de nova Aquila (ita salutabatur à viris doctis) no-  
bilis Poetæ Hermannii Buschii patronus. Hic Wilhelmus genuit filium  
Hermannum, patruo nomine doctrina & ingenio similem, & filiam N.  
quæ postea est elocata cognato Comitis Hermannii in quarto gradu, Adol-  
pho Comiti Newenario & Limpurgico, Humberti filio, Domino in Uspen/  
Bethbar & Lenep. Hermannus, Comes doctissimus, ex Nassovica Principis  
Uranie Wilhelmi & Joannis Nassovici Comitis sorore N. nullam sustulit  
prolem, ita admittitur ad illud Comitatum, mortuo Hermanno Comite,  
Comes Adolphus, ipsius affinis, qui quoque nullum ex sorore Hermannii  
hæredem reliquit, sed hoc præterito Anno 1589. Adolphus moritur,  
prius exutus omnibus suis bonis & variis periculis agitatus: In quo ut  
multorum Comitatum ac Dominorum hærede Domino ac possessore  
exemplum habemus, ne quis in potentia, in regionibus, in divitiis vel  
in Dominiis confidat, quia in mundo sunt omnia vana: Ad quem post  
hunc demortuum Adolphum jam perveniat Comitatus Morsensis, an  
ad Ducatum Clivensem, vel ad aliam Regionem, ignoro.*

In litera N & O nihil reperio.

### P.

PIRMONT, est nomen Gallicum, ut Tremont. Fuit aliquando Abbas  
Corbejensis Bodo, Comes in Pirmont. Ultimus ejus Comitatus masculus heres  
fuit

fuit Philippus, filius Friderici & nepos Philippi &c. qui in bello ad Quedlinburg anno Domini 1558. gesto perijt Heros excellens, in die Laurentii & est Cameraci sepultus in summo templo. Huic successit Hermannus Simon, Comes Lippiensis, qui ducta Ursula sorore Philippi in uxorem, se possessor istius Comitatus, sed voluit ab hoc Comitatu exclusum Reuerentus, Episcopus Paderbornensis, qui hunc Comitatum ut suum feudum post mortuum ultimum masculum heredem ad se & suam Diocesim transferre voluit: Sed mortuo illo, successor Joannis, Comes Hohenlohe Solorinus Hermannus Simonis, ut Paderbornensis Præsul (qui erat etiam Episcopus Monasteriensis & Osnaburgensis) effecit, ut consentiente Capitulo Capituli Ecclesie inauguraretur Hermannus Simon isto beneficio vel Comitatu, & fieret Ecclesie Paderbornensis Vasallus: Hic Hermannus Simon genuerit unicum Philippum nomine, qui cum Archiepiscopo Bremensi Henrico Duce Saxonia, Angrivaria Westphalia, Administratore Ecclesiarum Osnaburgensis & Paderbornensis, Colantiam proficisceretur, in itinere cepit egrotare & mox moritur, anno Dni 1583. per ejus mortem mater territa, illam illa nobilis & pia matrona incidens in ægrotudinem, mox quoque extinguitur: Cujus deinde nepotes ex sorore Walpurgi vidua Georgii Comitis de Gleichen / Domini in Thonna / & filii prædicti Georgii & Walpurgis tres fratres Philippus, Ernestus Joannes, Lodovicus & Georgius junior armata manu, ut veri heredes, nomine matris arcem Pirmontanum invadunt & occupant: Et licet eam arcem & Comitatum ut suum feudum repetere prædictus Princeps Paderbornensis Præsul, Henricus Dux Saxonia, & cum illo Cathedralis Ecclesie capitulares, ac milite cingerent arcem Pirmunt / copioso tamen auxilio illustrissimi Brunsvicensium Principis Ducis Philippi de Grubenhagen & nobilium fratrum de Salderen in primis Henrici & Theobaldi, retinuerunt arcem, & re infecta Paderbornenses ab obsidione arce discesserunt. Credo totum jam negotium juri commissum aut compositum. Arx illa est eleganter munita, & extructa per Hermannum Simonem Comitem Lippiensem.

In litera Q nihil reperio.

R.

RHEDE, Dominium per pacta dotalia pervenit, mortuo ultimo masculo hærede Conrado & fratre ejus Orthone Comitibus in Ecklenborch & Comites Benthemenses, quando duceret Everwinus Comes in Bentham unicam filiam Conradi ex Christina Hassia Landgravina natam Annam cum ea Dominium in Rheden consequeretur.

RITBERG, Comitatus, cujus in mascula stirpe ultimus heres fuit Jo-  
 annes, qui cum aliquando fratrem Otthonem Comitem in Ritberg ex arce &  
 Comitatu Ritbergico excluderet, ut in certis sedibus diu hinc inde vaga-  
 retur, & tandem in obsidione & castris Caroli V. ante urbem Metensem mo-  
 reretur, nunquam reversus ad suum Comitatum, sic demum & hic in  
 arce ea obsidetur & capitur, anno Domini 1558. atque ita captus nun-  
 quam rediit ad hunc ipsum suum Comitatum, sed quoque moritur in  
 peregrinis locis. Hujus ex Agneza Comitissa Benthemica, filia Armegar-  
 da nupsit Erico, Comiti Hoyensi, Heroi pio, qui ita vivus obtinuit Comi-  
 tatum eum, sed eo mortuo absque haredibus D. Armegarda nupsit Do-  
 mino Simoni Comiti Lippiensi, qui quoque hunc Comitatum & arcem ob-  
 tinuit, quam diu D. Armegarda viveret: Verum illa mortua devolvi-  
 tur jus hujus Comitatus ad sororem Walpurgim & ejus nobilissimum ac ge-  
 nerolum maritum Dominum Ennonem, Comitem orientalis Phrysie, qui  
 illam arcem & Comitatum obtinet, sed cum jam Walpurgis ejus Con-  
 thoralis mortua sit, credo ejus Comitatus Dominium & possessionem  
 cum reliquis Dominiis devolvendam ad utriusque liberos, generosas  
 inquam filias.

RAVENSBORG, Comitatus Westphalia proprius, qui ultra centum  
 annos Bergensi Ducatui subsuit. Sed rursus ille Comitatus sensit mu-  
 tationem, anno Domini 1511. Nam mortuo masculino herede, Duce Bergensi  
 & Juliacensi, Wilhelmo, transit ad Duces Clivenses & Comites de Marcka,  
 quia istius Wilhelmi unicam natam ex Brandeburgica Sybilla Mariam du-  
 xit uxorem Joannes III. Dux Clivensis anno Domini 1496. & genuit  
 Wilhelmum anno 1516. natum, qui adhuc anno 1590. superest.

## S.

SPIEGELBERG, Comitatus, cujus ultimus erat masculus heres Phi-  
 lippus, Frederici filius, Philippi nepos, abnepos Mauriti, cujus filius Mau-  
 ritius junior fuit Abbas in Corveye: Junior Philippus moritur in copiis  
 vel castris Philippi Hispaniarum Regis ante Quintinum positus, transfixus  
 globo, anno Domini 1558. tunc consentientibus Dominis hujus feudi vel  
 Comitatus Ducibus Brunsvicensibus, Henrico juniore, Ducis Julii patre, &  
 Erico juniore fratruelibus, ducit istius demortui Philippi sororem Ursulam  
 Hermannus Simon, Comes Lippiensis, & cum ea sibi conjugate ad sociata ac-  
 cipit

Ccc cc

cipit in feudum à prædictis Ducibus Comitatum hunc, & eiusdem filius Philippus, qui post patrem demortuum anno Domini 1576. & partem Comitatus Lippie cum duobus Comitibus Spiegelberg & Yrmunt obtinuit usque ad annum 1583. in quo moritur & ipse, dum esset anticus beneficiarius præfulis Paderbornensis Henrici, Ducis Saxonie & Westphalie, &c. in itinere, quando Episcopus Coloniensis tenderet, (non ut quidem Ursula statim quoque animam agit, tunc Ursula nepotes ex sorore Ursula vidua Georgii Comitis in Gleichen / & Domini in Thonn / Philippus Erustus, Joannes Lodovicus, Georgius junior, ex gratia Principum sive, ut Ducis Julii & Ducis Erici, admittuntur ad hunc Comitatum, & cetera per Principes prædictos elementer investiti sunt.

## T.

TECKLENBORCH, Comitatus, cujus arx ejus nominis subdidida quidem, sita est in monte edito duobus ab Osnaburgæ millibus. Hujus ultimus masculus dicitur ab historicis heres Conradus, natus Otthone patre & Armegarda Comitissa in Ritberg; Conradus autem inter fratres ut Nicolaum & Otthonem natu minimus, tamen viro parente in Comitatum, & parentem Otthonem in vincula conjecit anno Domini 1514. sed opera sororis, Comiti Brunckhorstiano elocata, implorantis auxilium præfulum Monasteriensis, Erici Saxonici Ducis de Lomberg / Erici Osnaburgensis, Ducis Brunsvicensis de Grubenhagen / atque Comitum Alderbergensis, Lippiensis, Ritbergensis, eripit patrem ex vinculis. Pater ut cederet filio arcem Rheden/occupat, & filio relinquit Comitatum Tecklenburgicum interea adhuc vivebat ejus patruus Nicolaus in Dominio & arce Lingen quam ademit anno Domini 1519. isti Nicolao Episcopus Monasteriensis Ericus Saxo de Levenborch / & eam cum dominio suæ fecit ditionis vicæ ceter Monasteriensis, sed cum se submitteret Comes Nicolaus Duci Gelberulo magnanimo & audaci Principi, eique Dominium Lingen faceret feudum, atque ab eo ut beneficiarius & Vasallus in feudum hunc Comitatum possessionem, restituit eum, ut per aliquot annos & arcem eum urbe & Dominio toto Lingen pacificè possideret, nec Monasterienses contra Gelarum partem hostem ne hiscere quidem auderent, tandem Nicolaus moritur & nullam ex Elisabetha Comitissa de Morse uxore prolem reliquit. circa annum Domini 1524. ut, puto, mortuo, eam arcem Conradus

quoque inuadit, & in feudum à Geldro accepit; interea dum alter fratrum nempe *Nicolaus* se in militiam reciperet, & *Otho* quidem *Canonicum Coloniensem* ageret, atque opimum beneficium in præpositura Collegii ad *S. Joannem Osnaburgi* obtineret, occumbente fratre *Nicolao* in pugna vel acie regni *Dania*, quæ *der Ochsenbrück* / voluit pro more *Majorum Comitatus* dividere cum fratre *Conrado* Dominus *Otho*, ideo *Ecclesiastica beneficia* resignavit, sed levi de causa à fratre *Conrado* vinculis traditur, & amentia accufatur, & sic in vinculis vivo fratre hæret. Interim *Conradus* ex *Christina Landgravia Hasfia* genuit unam filiam *Annam*, quæ elocatur *Everwino Comiti Benthemensi & de Stensfurt*: Verum mortuo jam *Geldro Principe Carolo* dum pugnarent de Ducatu *Geldriae Carolus V. Cæsar*, & *Wilhelmus Dux Juliacensis* per aliquot annos, atque tandem anno Domini 1543. victor evaderet *Carolus V. Cæsar*, & interea jam se ad castra *Principum federis Schmalckaldici Conradus Tecklenburgicus* recepisset, nec suum beneficium, hoc est, *Dominium Lingensè* à *Carolo* fideliter suscepisset, quando rursam *Carolus V.* victoriam contra *Principes Schmalckaldicos* obtineret, eum per *Maximilianum Comitem Burensem* eo *Dominio* exiit & ad se recepit. Interim mihi constanter referunt, (quod ex magnis viris audivi) si *Comes Conradus* se supplicem præbuisset *Burenfi*, certis potuisset conditionibus illud *Dominium* retinere: Ita *Lingen Dominium* est adhuc *Regis Hispania Philippi* in *Westphalia* præsidium. Interim mira res, *Conradus* in videbat fratri *Dominium*, quod alii, ut peregrino, invitum tradere postea coactus fuit: Mortuo *Conrado* anno Domini 1556. cum jam *Comes Benthemensis Everwinus* hunc *Comitatum* obtineret, *Otho*, *Comes* senex decrepitus, *Conradi* frater, per nepotem *Annam* *Conradi* filiam, & *Everwini* conjugem, ex vinculis eripitur, honoratur ut patruus, & fovetur atque honestissimo loco habetur, & ei ministri aliquot adjunguntur, & tanquam *Comes & ultimus masculus* hæres istius nobilissimæ stirpis sustentatur, donec sexennio elapso post mortuum fratrem *Conradum* & ipse vitam cum morte commutaret anno Domini 1562. quando ante ipsum mortuus esset affinis *Everwinus Benthemensis*.

W.

WITMUNDE, *Dominium* sensit mutationem circa annum Domini 1540. quo anno moritur istius *Dominii masculus hæres*, nobilis dominus

Ccc cc 2

minus

minus Balthasar / perpetuus Bremensium hostis, & sic post ejus mortem hoc Dominium devolvitur ad Otthonem Comitem Ribericum, cui in conjugem tradiderat sororem Annam Dominus Balthasar: Hujus filius Johannes succedit patri in hoc Dominio, & reliquit duas filias ex Agnata Dithemica Comitissa, Armegardam & Walpurgam, ipse tandem captus in vinculis detentus moritur Coloniae: Armegarda elocatur Erico Comite Hoyensi, & is fit Dominus hujus ditionis, sed moritur anno Domini 1177, nulla relicta prole, ita jus hujus ditionis rediit ad sororem D. Walpurgam, qua nupsit Ennoni Comiti orientalis Phrysiæ Ezardi primogeniti illi (Walpurga) quoque mortua est, relictis duabus filiabus hæredibus.

## Z.

ZUTPHEN vel ZUTPHANIA, proprius Comitatus acriter nominata ab hac parte Rheni, est Ducatus Geldriae incorporatus. Est autem mutatio facta in hoc Comitatu mortuo Geldriae Duce Carolo anno Domini 1538. nam eligebatur à Proceribus Wilhelmus, Juliae Dux, Joannis III. Ducis Clivensis unicus filius anno Domini 1539. qui erat quoque in Testamento Caroli Ducis nominatus hæres & successor in Ducatu Geldrico & Comitatu Zutphaniensi: Sed cum propterea apertum oriretur bellum inter Carolum V. Casarem (qui multum juris in eum præcedit Ducatum) & Wilhelmum Ducem Juliacensem atque Bergensem, Comitens Marckæ, & Ravensburgicum, Joannis III. Ducis Clivensis nuncius filius (qui per triennium obtinebat Ducatum Geldriae & Comitatum Zutphaniensem) & initio rem prosperè gereret juvenis Princeps Wilhelmus tandem Carolus V. cum magno procedens exercitu, depopulatus est Ducatum Juliacensem, & invasit Geldriensem Principatum, atque eorum urbes superavit & sibi subjecit: Ideo Wilhelmus opera & intercessionem Hermanni Colonienfis Electoris & Henrici junioris Ducis Brunsvicensis patris Ducis Julii, avi Henrici Julii, reconciliatur Casari, & cedit à Ducatu Geldriae & Comitatu Zutphania. Sunt etiam sub viginti annis variae in hoc Comitatu mutationes factae. Verus & hæreditarius ejus possessor Rex Hispania, qui semper arcem & urbem possedit, interdum amissa, interdum etiam statuum Hollandiaeproceres eam invaserunt. Ideo nihil est stabile nec ab omni parte beatum in hoc mundo.

De parvis quibusdam  
**WESTPHALIÆ DOMINIIS,**

In quibus est aliqua mutatio facta, aut quæ aliò translata  
 sunt, brevis Relatio.

In litera A & B nihil habeo.

C.

**C**ASTROP, oppidum & proprium olim *Dominium* in amplissi-  
 mo Comitatu de *Marcka* Westphalorum, quod adhuc hæcenus  
 propriam habuit Jurisdictionem & iudicium: Est non admo-  
 dum *procul situm* ab urbe Imperiali *Tremoniana*; vidi in Catalogo vel regi-  
 stro illustrium *Canonissarum* generosi Collegii virginum in urbe *Asfindia*,  
 ibidem fuisse *Canonissam Margarethem natam Dominam de Castorff*. Tan-  
 dem per *dotalem compositionem* pervenit *Dominium Castorff* ad *nobiles Do-*  
*minos de Strunckede* / quibus postea Princeps patriæ, nescio quibus de  
 causis, ademittit illud *Dominium* & Comitatu subiecit. Sic evanuit titu-  
 lus istius *Dominii*, evanuerunt etiam & *Domini*, quorum nomina nulla  
 mihi cognita sunt aut fuerunt. Sic ruunt singula & nihil est validum.  
 De his rebus certiora dare poterunt ibidem existentes *nobiles & egregii*  
*viri Georgius Scheel / Archiquæstor Hordensis, & Casparus Schwarzii, pa-*  
*tricius Tremoniensis.*

CRANGE, est quoque *Dominium* in eodem loco de quo dicam, quan-  
 do de *Dominio Strunckede* dicturi sumus.

HORST, *Dominium* inter oppida *Asfindiam & Necklinckhusen* / ubi  
 est *arx pulcherrima* ædificata à *Roigero Marscalco Coloniensi*, & jam illud  
 est ad alios translatum.

OISTFREISLANDT, vel *orientalis Prysia*, continet *multos mino-*  
*res Dominos* vel *minora Dominia*, quibus tamen *certi pagi* subsunt, in  
 quibus *plenam habent jurisdictionem Domicelli illi*, & in his suis *Dominiis*  
 fuit per annos centum semper varia mutatio spectata: Illos sua *Germa-*  
 nica

nica vocant Hoffelinc / hoc est, *Dominos*, qui ita præsent: Sunt autem illa *dominia* ibidem ordine existentia, *Oldersen / Gudersen / Schippen / Zinhausen / Zutzeborg / Dorm / Loppersen / Petten / Loqueren / Wapen / Uphausen & Zinhausen / & plura*, quorum nomina non occurrunt: Et in his omnibus vidimus variam mutationem nostro etiam tempore.

OVEDE, fuit *Dominium in Ducatu Bergensi* inter oppida *Rottum & Retwisch / & postea Nobiles de Eller* hoc possederunt, & de eo ibi titulum usurparunt, sed hoc *Dominium* ademit eis Princeps *partis* istius.

RUENTHAEL, arx fuit & *Dominium olim* propè urbem *Hattum* in *Comitatu* amplissimo de *Marcka*, ad terminos Ducatus *Bergensis* sub *præfectura* *Blancfenstede / & ruina arcis* ibi adhuc extant, & ibi habuerunt *nobiles Domini*, qui se scripserunt *Dominos in Ruenthal*, sed *Comites de Marcka* destruxerunt, sic nihil est validum.

STRUNCKEDE, fuit olim proprium *Dominium in Westphalia*, & ad hoc pertinuit *castrum & dominium Crauge* in amplissimo *Comitatu de Marcka* ad milliare ab urbe *Tremonia*. Vidi in *Catalogo illustrium Canonissarum generosi Collegii in Assindia* aliquot *nobiles Domicellas* fuisse ibidem *Canonicas*: Ego hoc unum scio, quòd *Nobilia de Strunckede* matrimonia cum *Comitum filiabus* saepe contraxerunt. Et ego ante paucos annos novi ingeniosum & doctum *nobilem Wilhelmum de Strunckede*. *Levoldus de Nortorff* scribit in *Chronico Comitum de Marcka*, quòd *Engelbertus, Comes de Marcka*, *castrum Strunckede* anno *Dni 1317* destruxerit, & tunc sine dubio *Dominium* istis tunc *nobilibus* est ablatum: Interim *readificaverunt castrum Strunckede / & nobiles in eo loco adhuc habent amplas possessiones*. Sic nihil est in hoc mundo diuturnum.

VITNICKHOFF, quondam proprium *dominium, & arx* hujus *Dominii* fuit sita ad dimidium milliare ab urbe *Assindia*, in *Comitatu* amplissimo de *Marcka*, ubi adhuc ejus reliquiæ videntur. Fuere in *aula Coloniensis Archiepiscopi* *Conradi de Hoestede* circa annum *Domi 1280* *Nobiles Domini, Henricus de Kennenberge / & Theodorus de Vitnickhoff* fuit eques auratus. Fuerunt etiam illustres aliquot *Canonisse* in generoso *Collegio Assindienfi*, ex hac familia oriunda: Postea in *vicinia* ejus loci ædificaverunt *Nobiles de Schelen arcem* & hujus *Dominii* bona aliquot possederunt.

In *Holsatia* quoque hujusmodi multa sunt, in quibus varia mutatio accidit. Nam ut de familiis & possessionibus nobilium (qui ea libertate suis dominiis ac bonis fruebantur, qua Comites in Germania) nihil dicam, quarum ultra centum jam planè desisse, ut quorundam vix nomina super sint, præca monumenta testantur; Ipsam *Holsatiæ* regionem solum inspiciamus, quæ ab eo tempore, quo certæ cujusdam provinciæ speciem accepit, ac unde certa aliqua hujus rei memoria peti potest, quatuor distinctis familiis paruit. *Primi Holsatiæ sive Nordalbinge Domini* I. fuerunt *Saxones*, & quidem progenitores *Wedekindi* & hujus posterii, ex quibus *Imp. Orti*, *Henricus Anceps*, *Otho I.* cognomento magnus, *Otho II.* & *Otho III.* qui omnes successione eandem sibi vindicarunt. Continuis autem ferè bellis, obsidionibus & irruptionibus, in confinibus *urbis Schleisicensis*, sub dictis Imperatoribus hæ gentes (quæ à morte *Caroli ac Ludovici pii Imp. Holsatiæ, Stormariæ, Wagriæ & Dithmarsiciæ* vocatæ sunt) à *Slavis, Vandalis*, ac *Regibus Dantiæ* exagitatæ fuerunt 150. integros annos, donec *Otho Imperator Hermannus Billungio, Nobili Lunaburgensi* II. eas unâ cum patria in feudum sub Comitatus titulo concessit.

Præterea harum ditionum Dynastia ad Comites *Schowenburgenses* per III. venit à *Lothario* illis donata, qui virginem ex *Billungiorum* familia, cum mascula nulla proles superesset, duxit; & sic harum regionum Dominus factus est. Unde quoque accidit, ut ex hac familia orti *Comites se Schowenburgi & Holsatiæ* scripserint.

Denique *Adolpho* ultimo ex *Comitibus Schowenburgensibus*, *Comite* IV. *Holsatiæ* (qui per multos annos cum *Regibus Dantiæ de Ducatu Slesvicensi* contendens, varia ac diversa bella gessit, in quibus fratrem suum seniore, *Henricum* vulneratum antè *Flensburgum* amisit, & tandem eundem Ducatum in feudum accepit) mortuo; hæ regiones ad ejus sororis *Heilwigis* filium, *Christianum I. Comitem Oldenburgensem*, cujus majores è *Regibus Saxoniæ & linea Wedekindi* sunt orti, & sic ad veros & veteres hæredes, electione ac transactione cum *Comitibus Schowenburgensibus* facta, redierunt. Hujus *Christiani* rogatu illas Ducatum nomine *Fridericus III. Imperator* donavit, à quo *Christiano* aliquot proximi *Reges Dantiæ*, & iidem *Holsatiæ Duces* descenderunt, sub quorum tutela etiamnum feliciter hæ terræ acquiescunt. Verùm hæc & aliatu, *Illustris Ranzovi*, optime nobili, quem nihil hujusmodi fugit,

Atquæ hæc humanarum rerum vicissitudo est ac inconstantia, quæ ut despicienda est: Sic ad superna ista ac cœlestia regna, quæ sine mutationibus, sine fine manent semper firma & inconcussa, unice ac infesso studio est suspiciendum suspirandumque. Quod ipsum te quoque Generose senex, assidue facitare, argumento est evidenti pulcherrimum illud Emblema tuum: *Dies mortis aeterna vita natalis est*: Cujus picturam hic Typus exhibet.

Hoc Emblema cum multis doctissimorum hominum carminibus elegantissimis illustratum sit, præcipue ex iis clausulæ loco subicere placuit.

NICOL. REUSNERUS.

Summa dies mortis, vitæ natalis habetur

Æternæ: Si vis vivere, disce mori.

Idem.

Mors hominem mortis pariter morbi que periculis  
Subtrahit, & vitæ certa fit arrha novæ.

ALBERTUS LEMEIERUS.

Grana velut putrefacta novas meditantur aristas,  
Corpus sic gignent ossa sepulta novum.  
Nempe ex interitu fluit instauratio nostri,  
Principiumque boni finis acerbus habet.

PETRUS LINDENBERGIUS.

Mors, quæ corporeæ est hujus destructio massæ,  
Janua ea est vitæ principiumque novæ.

Idem

Idem.

Transitus è vivis vitæ cælestis origo est,  
Qui Christo didicit viverere, vivit homo.

Idem.

Lux ea mortalis, quâ ducitur ultima vitæ,  
Rursum natalis ducitur esse novæ.

HERMANNUS EMSICHOVIUS.

Nascendo morimur, vita altera morte paratur,  
Vita hæc mors, mortis funera finis erunt.

PAULUS ab **ESSEN**/Th.D.

Viventes morimur, morientes vivimus, ergò  
Vive memor mortis, mortemque pavescere noli.  
Vita malis plena est, pia mors pretiosa quies est.  
Vitam mors sequitur, sed mortem vita beata.  
Mors nobis lucrum, quia vita est CHRISTUS JESUS.

BONIFACIUS CALENIUS.

Qui moritur Domino, mors sua vita pia est.

PRUDENTIUS.

Mors hæc reparatio vitæ est.

Ejusdem RANZOVII Symboli  
æquipollentiæ.

Mors vitæ principium,  
Interitus restaurat.  
Corruptio generat.  
Finis præteriti, principium futuri.

Ddd dd

Vi-

Victurus morere.

Miseria felicitatem parit.

*Τὸ κατὸν εἶδεν τὸδε μίλλον πάντα.*

Futura praesentia non videbunt, sed praesentia futura.

D. BERNHARDUS.

Mors piorum est finis malorum & janua ad vitam

CICERO.

Mors beatæ vitæ initium.

Epaminondas Thebanus apud Valerium  
lib. 3. jam moriturus.

Non finis, commilitones, meæ vitæ, sed melius &  
altius initium advenit; Nunc enim vester Epaminondas  
nascitur, quia moritur.

### RANZOVIORUM INSIGNIA.

RANZOVIÆ gentis sunt hæc Insignia: cujus  
In galea Martis cornua robur habent.  
Una quid est albo quod pars nitet, altera rubro?  
Arma Duces belli, paxque togata decent.  
Area cur non est facie insignita ferarum,  
Nobilium clypeis quod decor esse solet?  
Quem Pietas, animi Candor, quem conscia famæ  
Nobilitat virtus, nobilis ille fatis.



LIPSIAE,  
Ex Officina Typographica ABRAHAMI LAMBERGI.  
Anno 1592.